

cumini

coriandr.

cubeb.

bacc. lauri aa ʒiij.

Concisa, contusa, mista f. Species pro
cataplasmate.

III. Cataplasma crudum contra haemorrhoi-
des coecas valde dolentes.

R. micae pan. similag. Rosar.

q. s. solut. ʒj.

far. rad. altheae ʒss.

croci ʒss.

album oui No. i.

conterendo in mortario redige in pul-
tem. D.

SECTIO XXV.

FORMVLA ^{DE} CLYSTERIS.

§. 722.

Quemadmodum omne medicamentum est De cly-
vel simplex, vel compositum §. 35. ita stere sim-
et clyster est vel simplex, vel compositus. plici et
composi-
to.

§. 723.

Cum clyster sit medicamentum liquidum, Quae-
quod ope siphonis intestino recto iniicitur, nam cly-
§. 628, omnia ista, quae vel per se sunt fluida steris in-
huic greden-

na esse
possunt.

huic vsui apta, vel aliorum ope in clysteris formam redigi possunt, ingredientium vice in clystere fungi possunt.

§. 724.

Recen-
sentur,
quaenam
clysteris
ingre-
dientia
esse pos-
sint.

Talia sunt 1) liquida, vt aqua simplex, lac, eius serum, vinum, vrina, decoctum, vt hordei, auenae, specierum emollientium, carminatiuarum, iuscula carniū, olea expressa, 2) spissiora, mollia et solida, vt saponēs, saccharum, mella, pulpae, electuaria, vitellus oui, pinguedines, medullae, seuā, balsama, vnguenta. Haec etenim vel per se sunt fluida, vel aliorum commixtione in formam fluidam redigi possunt.

§. 725.

Ingredi-
ens cly-
steris
simplicis
debet ef-
se fluidum.

Sicut omne medicamentum simplex, ita et clyster simplex ex vno constat ingrediente §. 34. Iam omne id, quod vel per se est fluidum vsui clysteris aptum, vel cum aliis in clysteris formam redigi potest, ingredientis vice in clystere fungi potest, §. 723. Quade re ingrediens clysteris simplicis, cum vnum tantum sit, ita comparatum esse debet, vt per se sit fluidum vsui clysteris aptum, nec fluidam formam aliorum miscela acquirat. Ponas enim contrarium, hoc est, ingrediens clysteris simplicis non esse per se iam fluidum, tunc aliis opus esset, quorum miscela formam ipsi fluidam conciliaret, adeoque oriatur non clyster simplex, sed compositus; id quod repugnat hypo-

hypothefi. Clyfter ex fole lacte vel oleo confectus dicta confirmat.

§. 726.

Quamvis clyfteris fimplicis ingrediens debeat eſſe per ſe, ſine aliorum miſcela, fluidum §. 725, nihilominus tamen, vt omnia clyfteris compoſiti ingredientia fluida ſint, non abſolute neceſſe eſt. Cum enim clyſter compoſitus, ſicut omne medicamentum compoſitum, ex pluribus vno conſtet ingredientibus §. 34, et omnia iſta ingredientium vice in clyſtere fungi poſſint, quae aliorum miſcela in clyſteris formam redigi poſſunt §. 723, aliqua clyſteris compoſiti ingredientia poſſunt eſſe non fluida, ſed vel ſolida, vel mollia, dummodo iſta aliorum ope in clyſteris formam redigi poſſint.

Ingredi-
entia cly-
ſteris
compoſi-
ti omnia
vt ſint
fluida,
non ab-
ſolute
neceſſe
eſt.

§. 727.

Varii dantur modi clyſterem compoſitum De variis
praeparandi, ſed hi omnes commodè in cer-
tas redigam claſſes, vt eo facilius compre-
hendi poſſint. Vel enim iſta clyſteris com-
poſiti ingredientia, quae non ſunt fluida, ſed
vel ſolida, mollia, vel aliis cuiuſcunque in-
dolis, ita ſunt comparata, vt ſe vel ex toto,
vel ex parte in clyſteris compoſiti ingredien-
te fluido, vel pluribus ingredientibus fluidis,
ſolui patiantur. Duplex ergo hoc in caſu
exſurgit modus praeparandi clyſterem com-
poſitum, vnus ſcilicet, quo praeparatur ex
(*Pars II. de form. in ſpecie.*) Gg qui-

De variis
modis
clyſte-
rem
compoſi-
tum praeparandi.

quibusdam ingredientibus non fluidis, sed vel solidis, vel mollibus, vel aliis in ingrediente fluido, vel pluribus, ex toto solubilibus, alter vero, quo aliqua clysteris compositi ingredientia in eiusdem ingrediente fluido, vel pluribus ingredientibus fluidis, ex parte tantum soluuntur.

§. 728.

Scho-
lion.

Specimen prioris modi, quo praeparatur clyster compositus §. 527, praebent clysteres isti, qui conficiuntur ex sapone, melle, salibus, vitello oui, saccharo, syrupis in aqua plenarie solutis; posterioris vero modi, quo praeparatur clyster ex quibusdam ingredientibus non fluidis, sed vel solidis, mollibus aliisque non fluidis, in ingrediente eiusdem fluido ex parte solutis, exemplum praebent clysteres quidam ex vegetabilibus decoctione parati.

§. 729.

Clyste-
res com-
positi
praepa-
rari pos-
sunt de-
coctione.

Si vegetabilia, quae coquendo virtutem suam plenarie non perdunt, vel alia coctioni apta, cum idoneo fluido decoquuntur, oritur liquidum virtute eorum, quibuscum decoctum fuit, medica et vsui clysteris apta, im- praegnatum. Iam fluida virtute clysteris vsui apta praedita, ingredientium vice in clystere fungi possunt §. 723. Qua de re clyster compositus decoctione cum idoneis speciebus parari potest, atque hic modus conficiendi clysterem ordinarius est et satis frequens.

§. 730.

§. 730.

Clysterum frequentissimus est et varius De usu
 usus. Adhibentur enim vel scōpo euacuan- clyste-
 di, vel alterandi, vel utroque simul. Sic rum in
 vfurpari solent ad stercora indurata emollien- genere.
 da, intestinorum tractum partesque his vici-
 nas relaxandas, vel roborandas, spasmos et
 dolores in intestinis partibusque vicinis fae-
 vientes sedandos, acrimoniam in intestinis
 haerentem demulcendam atque inuoluendam,
 corpus nutriendum, roborandum, sanguinem
 et humores a partibus superioribus ad inferio-
 res deriuandos, alui excretionem aliasque ex-
 cretiones promouendas, nec non alios ad vfus.

§. 731.

Quando feces durae, quae intestinis cras- Ex qui-
 sis impactae haerent, sunt emolliendae et in- bus cly-
 testina relaxanda. enemata ex remediis emol- steres
 lientibus, cuius generis sunt ex radicibus, ra- emolli-
 dix altheae, liliorum alborum, ex herbis, entes
 herbae quinque emollientes, ex floribus, flo- sunt pa-
 res chamomillae, millefolii, maluae, me- randi.
 liloti, sambuci, verbasci, ex seminibus, se-
 men lini, foenugraeci, ex fructibus, ficus et
 passulae, ex dulcibus, manna, mel, syrupus
 violarum, ex oleis expressis, oleum amy-
 gdalarum dulcium, lini, ex oleis coctis, oleum
 chamomillae, cum aqua, vel potius lacte,
 quod aqua magis relaxat, decoctis, parare
 conuenit.

Gg 2

§. 732.

§. 732.

Quanam
loco sti-
muli ad-
hibean-
tur in
clysteri-
bus.

Loco stimuli clysteribus maximocum fru-
ctu admiscantur salina, vt sal commune, vel
sal gemmae, quod sali communi praeferen-
dum, Ebshamense, Sedlicense, digestium
Syluii, aliaque salia neutra et alcalina; indi-
cata tamen sunt vsitatoria. Saccharum quo-
que stimuli causa interdum adiicitur. Si eius-
modi clystere aestus nimius est temperandus,
addi potest nitrum.

§. 733.

Clyste-
res con-
tra dolo-
res et
spasmos
ex qui-
bus con-
ficiantur.

Si spasmodorum et dolorum, qui non inte-
stinorum modo volumen, sed remoras etiam
torquent partes, atrocia clysterum ope est
mitiganda, id quod in colica, doloribus ex
calculo potissimum, aliisque innumeris affe-
ctibus requiritur, clysteres conducunt ex me-
ris oleis expressis et pinguedinibus animan-
tium parati, cui scopo inferuiunt praesertim
oleum coctum chamomillae, millefolii, oleum
amygdalarum dulcium, lini, pinguedo hu-
mana, canina, anseris, taxi. Eidem scopo
conueniunt species emollientes et anodynae,
vt flores chamomillae vulgaris, sambuci, me-
liloti huiusque generis alia, nec non crocus,
cum lacte decoctae. In pathematibus spas-
modicis, epilepticis et conuulsivis moribus,
specifica vt addantur, ex vsu est, vt radix, se-
men et flores poeoniae, succus lumbricorum
terrestrium, et in hystericis pathematibus ca-
storeum,

stereum, eius pinguedo, asa foetida et sagapenum, maximo cum fructu admiscuntur.

§. 734.

Ad humorum acrimoniam, in intestinis crassis haerentem, inuoluendam et demulcendam, et intestinorum erosionem vel praecavendam, vel curandam, praeter clysteres ex speciebus emollientibus cum lacte decoctis paratos, aliosque § 731. 733. descriptos, egregii sunt usus clysteres ex decocto pedum vitulinorum, veruecinorum, rasurae cornu cervi, raparum, feminum papaueris albi, cydoniorum, auenaceo, lacte chalybeato, cum oleo vitellorum oui, vel ipsis oui vitellis, mixto; quorum tamen vnum prae altero virtute se magis commendat.

Ex quibusnam parentur clysteres contra acrimoniam humorum in intestinis.

§. 735.

Si intestinorum canalem nimis relaxatum roborandi et flatuum et fecum contentarum progressum promouendi fine sunt adhibendi clysteres, ad eos recipienda sunt stomachica et carminatiua; vt semina quatuor carminatiua maiora, in primis cuminum, ex herbis, herba maioranae, thymi, roris-marini, chamomillae, menthae, melissae, ex floribus, flores lauendulae, chamomillae Romanae, ex baccis, baccae lauri, iuniperi, ex oleis, oleum destillatum carui, menthae, rutae. Pilulae balsamicae HOFFMANNI, in debita liquidis quantitate solutae et ano injectae,

Clysteres carminatiui ex quibusnam sint parandi.

Gg 3

ma.

maxime conducunt, si intestinorum tonus est roborandus et humores simul vitiosi stagnantes sunt euacuandi.

§. 736.

De clysteribus
nutrientibus.

Quamuis adhuc multa habeam nec inutilia, quae de clysterum praeparatione ad casum in praxi obuios accommodanda dicere possem; nihilominus tamen, ne nimis sum longus, haec missa faciam. Hoc tantum moneo, quod, si clyster nutriendi scopo est adhibendus, iulculo carniū nihil sit aptius, et quidam acida vetent miscere clysmati, sed huius rei rationem ego saltem non perspicio. Sane, ubi corrigenda est putrilago, vel refraenandus calor febrilis, acidi dilutoris usum suadent omnia.

§. 737.

Non adeo exacta requiritur oleorum cum aqueis mixtio in clysteribus.

Si olea cum aqueis in clystere sunt adhibenda, non aequae exacta, ac si interne vsurparentur, eorundem requiritur mixtio; quamuis et mel, vitellus oui, saccharum, sapo, salia, alio fine, dum scopus fert, addita. hanc promouere queant.

§. 738.

A quibus fit abstinendum in clysteribus.

Opiatis, purgantibus drasticeis, iis maxime, quorum vis subdola se vasis insinuat, caute in clysteribus est vtendum; cum in intestinis crassis sit magna in copia nervi et absorbentes venulae adsint. Neque minus, si stimulantia in

in vsum sunt vocanda, circumspicte est determinandum, quibus et quantis opus sit. Si enim potentissime excitare, expellere et reuellere volueris, stimulo languente ages nihil, et si diutius retinendum clyisma, vt emolliat, diluat, demulceat, foueat, nutriat, ab acribus abstine.

§. 739.

Mutua ingredientium clysteris proportio in genere certis non limitari potest legibus, sed cuius ad indicationem, materiae iniiciendae materiem, aegri vires, eiusque vel maiorem vel minorem sensibilitatem, et requisitam iniectionis consistentiam, attento, in quouis singulari casu determinatu est facilis.

Quomodo ingredi-
dientium
um cly-
steris
propor-
tio deter-
minetur.

§. 740.

Si purgantibus opus est infusis, decoctis purgantibus, solis vel intermistis, haec plerumque dupla recipiuntur dosi, qua darentur ori ingerenda, interdum et tripla, immo maiore, vbi fortius est stimulandum. Salium mediorum, quae magis hic vsitata, drachma vna, duae, ad liquoris vncias decem, pro stimulo mediocri fere sufficiunt, alias tamen vncia vna et duae adhibentur in acerrimis clysteribus.

De pro-
portione
purgan-
tium et
stimu-
lantium
in clyste-
ribus.

§. 741.

Clysteris dosi variat pro ratione aetatis, constitutionis aegri, effectus praestandi, aliarumque in casu obuio occurrentium circum-

De dosi
clysteris.

472 PARS II. DE FORMVLIS IN SPECIE.

stantiarum. Ratione aetatis haec obtinet regula, vt iniiciantur

infanti recens nato

℥II.

prouectiori

℥III—IV.

puero

℥VI—VII.

adulto

℥VIII—X—XII.

§. 742.

Designa-
tura in
formula
clysteris.

Signatura in formula clysteris, praeter ea, quae generatim de ista dixi, docet saepius ea, quae ante et post iniectionem sunt agenda, et iniectionem ipsam spectant. De his et vsu clysteris quae dici possent, multa supersunt, sed mihi properandum est ad alia.

§. 743.

Specimina sunt

Clysteres emollientes et antispasmodici,

i.

Rx. rad. altheae

lil. albor. aa ℥ss.

herb. maluae

parietar.

flor. cham. vulg.

fambuc.

melilot. aa mss.

Sem. lini

foenu graec. aa ℥iij.

Concisa, contusa, mista coque in aquae
fun-

simplicis, vel, quod melius est, lactis, vel
decocti auenacei q. s. colaturae vncijs octo
adde

ol. amygd. dulc. vel
chamomill. ℥ij.

F. Clysma.

2.

Rx. flor. chamom. Rom.

auenae excort. aa ℥ij.

coque in aquae quantitate sufficiente,

colaturae ℥vij. adde

ol. lini vel

chamom. coct. ℥ij.

F. Clysma.

3.

Rx. ol. lini ℥viij.

chamom. coct. ℥j.

mucil. sem. foenugr. ℥ss.

M. f. Clyster.

II. Clyster ad acrimoniam humorum in in-
testinis stagnantem demulcendam et
tunicas eorum laesas consolidandas.

Rx. auen. decortic. m̄j.

summit. millesfol.

flor. chamom. vulg.

sambuc. aa m̄ss.

Gg s

coquan-

coquantur in decocti ossium vituli, vel lactis
vaccini, in quo ferum candens fuit extinctum,
q. s. colaturae ℥vij. adde

terebinch. Venetae cum

vitell. ouor. subact.

mell. rosar. aa ℥ij.

M. f. Enema pro adulto.

Loco ingredientium primo loco posito-
rum adhibere quis potest vel solum decoctum
auenaceum, vel solos flores chamomillae, cum
aqua vel lacte decoctos.

III. Clyster antihystericus.

R̄. decoct. auen. tenuiss. ℥iv.

ol. cham. coct. ℥ij.

pingued. castor. ℥j.

⊖ gemmae ℥ij.

M. f. Clyster.

IV. Clyster domesticus, quo creberrime usus fuit b. HOFFMANNVS.

R̄. auen. excort. mij.

flor. cham. vulg. mj.

fem. cumini ℥℥.

coque in sufficiente quantitate aquae com-
munis, colaturae adde

ol.

ol. lini vel

amygd. dulc. vel

chamom. coct. $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$ — $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$.

sacchari vel

mellis $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$. vel huius loco⊖ communis $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$ — $\mathfrak{ij}$.

M. f. Clyster.

SECTIO XXVI.

DE

FORMVLA SUPPOSITORII.

§. 744.

Sicut omne medicamentum est vel simplex, Quotuplex sit suppositorium.
 vel compositum §. 35, ita et suppositorium est vel simplex, vel compositum.

§. 745.

Cum suppositorium sit medicamentum Quænam suppositorium ingredi possint.
 externum, plus minus solidum, variae figurae, quod ano intruditur §. 636. omne id ingredientis vice in suppositorio fungi potest, quod vel per se, vel aliorum commixtione in eius formam redigi potest.

§. 746

Medicamentum simplex, hinc et suppo- Ingrediens suppositorii simplicis debet per se digi
 sitorium simplex, ex vno constat ingrediente
 §. 34. Iam omne id ingredientis vice in suppositorio fungi potest, quod vel per se, vel aliorum commixtione in eius formam redigi